



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXVIII. Purgatorii extinguit flammam. Maria animarum in purgatorio  
acceptissimum est refrigerium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS XXVIII.

*Maria Virgo animarum in purgatorio auxiliatrix turris eburnea est.*

Exordium.

**V**enustatem ac Decorem Mariæ Virginis, encomiis et laudibus celebrare desiderans Spiritus S. in hæc verba prorumpit. Cant. 7. cap. v. 4. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Rationem similitudinis reddidit Philippus Abbas, Commentario in Cant. *Ebur tam admirabilis virtutis est, ut si pannus lineus super ipsum Ebur mittatur, & ipsi panno lineo carbo vivus desuper imponatur, sua virtute Ebur pannum, qui illi adhæret, illa sum custodit, ita Beata Virgo peccatorem protegit, ne à carbone ira desuper concremari possit, & sic dicit: Collum tuum sicut turris eburnea.* Purgatorium ignis est ardentissimus, per flammeum gladium atque versatilem, Gen. 3. cap. collocatum ante Paradisum figuratus, juxta mentem Ruperti Abbatis in Gen. *Flammeus gladius atq. versatilis, ante Paradisum est collocatus, ut quicumq. deinceps admittendi sunt illis, transeant per examinatorium ignem.* Sicut ergo Ebur contra vivos & ignitos carbones, refrigerandi, refocillandi, & liberandi virtutem habet, sic Benedicta semper Virgo Dei Mater Maria, potestatem habens contra dæmones, sicut Marianis clientibus in hac vitâ turris Davidica, Proteatrix efficacissima & Auxiliatrix est, ita eorundem animabus in purgatorii igne subsistentibus Turris eburnea, Refrigerium, Refocillatio, & Liberatio, pia Mater esse non definit. Veritatem hanc auctoritate SS. Patrum firmemus. *Profundum misericordiam eius, sedentibus in tenebris, & in umbrâ mortis, obtinuit redemptionem* perorat S. Bernardus serm. 4. de Assumpt. B. V. *Et iterum Maria dæmones arcet frenatq., ne nocere possint famulis & mulabus suis.* Serm. de Laud. B. V. *Ideo convenit ei nomen*

S. Patres.

S. Bernardus.



ria, qua interpretatur stella maris, quia sicut per stellam maris, navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. discurret angelicè S. Thomas. Opusculo J. Thomas.

8. Comparatur misericordia ejus nubi, quia velut nubes misericorditer abscondit peccatores ab ardore solis, id est, ab irâ Filii, & quia obumbrat eis, & ipsos refrigerat ab aestu, & velut pluvia quaedam gratia fecundat eos, ubi enim est miseria, ibi solummodò misericordia habet locum. scribit Richardus à S. Laurentio. de Richardus à S. Laur. laud. B. V. lib. 4. *Orbita mirabilis, quemortuos vivificare con-* S. Bonaventura. *naris! undiq; sollicita de miseris, undiq; misericordiâ vallaris.* ex- S. Bonaventura. clamat S. Bonaventura. in *stimul. Amor. Part. 3. cap. 19. Sum-* tura.

*Mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pœna, qua debentur purgandis pro peccatis suis, in quâlibet horâ, propter preces meas mitigantur.* dixit ipsa Virgo Deipara S. Brigittæ. lib. 4. Revelat. cap. 138. *Non est revera finis tua magnitudinis, non est numerus tuorum Beneficiorum; nullus enim est, qui salvus fiat, O sanctissima, nisi per te, nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, O Purissima.* concludit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. Orat. de Zonâ. B. V. Turrim hanc eburneam, Mariam Virginem optatissimum animarum in purgatorio refrigerium, obumbrante Spiritu S. Conceptibus piis meditemur.

### CONCEPTUS I.

Veræ amicitia, sapientissimo Rege Salomone teste Prov. 11. cap. lex est. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Semel nimirum atque iterum amicum sese exhibere non sufficit; neque felicia tantum tempora, veri amici probant fidem, sed in angustiis comprobatur, in necessitate præsto est, qui amici fidelis officio fungi cupit: Legishujus observantissima est Virgo Maria, amat omni tempore devotos sibi, & nunquam servis suis in necessitatibus auxilio deest, sed in omnibus angustiis benevolentia ac clementia suâ sufficientissima exhibens signa, semper succurrit piissima misericordia Mater. *Non enim amas, & deseris. in-* quis

Confirmatio seu Deductio.



quit S. Augustinus. lib. 9. Confessionum: dicere volens, impossibile esse, verum amantem, objectum amoris sui, etiam in necessitate constitutum deserere posse. Animæ in gratia Dei decedentes, à divinâ relegentur Justitiâ ad purgatorii flammâs, ut à venalibus culpis purgentur, atque ob graviora peccata, quorum jam quidem culpa remissa est, contractam tamen pœnam temporalem solvant, de quæ iis integre divinæ satisfaciunt Justitiæ: in quantis hæ animæ consistunt angustis, utpote quæ nihil amplius sibi ipsis mereri possunt? quantæ sunt earum pœnæ? quàm durus ignis. *Mallet quilibet, viventium usq; ad finem mundi, omnibus simul excruciarî penit, quàm omnes homines ab Adam huc usq; tulerunt, quàm uno die in purgatorio morari.* scribit S. Cyrillus Alexandrinus, & cum eo S. Thomas. 3. Part. Quæst. 6. Art. 6. ad 4. nec non S. Gregorius in Psalm. 3. Pœnitent. *illum transitorium ignem, omni tribulatione æstimo præsentî intolerabiliorem.* Si ergo amicus dilecto amico suo, Mater pro filio, in accenso clibano, flammis jamjam exurendo, pro viribus succurrit, nullam pro ipsius liberatione difficultatem vitat, & in auxilium, qualecunque periculum lubenti suffert animo, multò magis Maria Virgo misericordiæ Mater, miseras illas animas in hac vitâ sibi devotas, singulariter consolari satagit, & ardentis purgatorii flammâs, & incomparabilia earum tormenta, à rigore divinæ Justitiæ accensa & inflicta, minuit, vel extinguit, & penitus illis liberat, unde miseræ & afflictæ illæ animæ in tormentis suis, atque ardoribus, gemitibus inenarrabilibus, Virginis implorant auxilium, sperant liberationem, expectant refrigerium sic fortissimus asserit Hugo Cardinalis. super Cant. B. V. M. *Ad Mariam respiciunt, qui degunt in purgatorio, ut liberentur.* Succurre, ô Maria! Turris Eburnea!

## CONCEPTUS II.

De seipsâ dicit Virgo Dei Genitrix. Eccles. 24. cap. *Profundum abyssi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi.* Quid per mare? Quid per fluctus hic intelligendum? Pœnas purgatorii



torii intelligit tam per mare, quam per fluctus, & reddit utriusque rationem, clarissimo textu S. Bernardinus Senensis. ferm. 3. de nomine Mariæ. art. 2. cap. 3. *Beata Virgo, in regno purgatorii Dominium tenet, propterea inquit: & in fluctibus maris ambulavi; Pena siquidem purgatorii, ideo dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur maris, quia nimirum est amara, & ab iis tormentis liberat beata Virgo maximè devotos suos, scilicet visitans & subveniens necessitatibus & tormentis devotorum suorum, imò & omnium, qui ibi existunt, quia filii ejus sunt, cum sint filii gratiæ, & in gratiâ confirmati, atque de gloriâ certificati.* confirmat Dionysius Carthusianus. ferm. 2. de Assumpt. B. V. *Beatissima Virgo Maria singulis annis, in Festo Nativitatis Christi ad purgatorii loca, cum multitudine Angelorum descendit, & multas inde animas eripit, quoniam in nocte solemnitatis illius, Christum regem gloriæ peperit: etiam nocte Dominica Resurrectionis, solet descendere ad purgatorium, pro educatione animarum, eò quod Christus nocte illâ sanctos de limbo eduxit.* Et S. Methodius. *Quid de te dicam, o benedicta! ignoro, nam ab inferis peccatores eruens, ostendis, per tua merita in inferno dari redemptionem; hæc sunt arcana, quæ nec mens, nec ratio valet percipere.* cui subscribit S. Nicephorus. de Laud. Mariæ dicens: *Maria iram à cælo depellit, & à Dei Justitiâ obsessos ab inferis eripit.* Turris igitur eburnea, refrigerium, ac liberatio animarum est ab igne ac flammis purgatorii.

### CONCEPTUS III.

Feliciter resurrexit ad vitam, ac denuo lumen cæli jucundus aspexit filius Sunamitidis 4. Regum. 4. cap. *Et oscitavit Puer septies, aperuitque oculos.* Quænam hujus tam fortunatæ resuscitationis causa est? Quid præcessit, antequam denuo matris afflictæ filius oculos aperiret? super genua Matris suæ positus, in matris sinu mortuus erat, felix resurrectionis Omen: *Posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, & mortuus est.* Mater nostra spiritalis Virgo Maria est, dicente Richardo à S. Laurentio. lib. 1. de Laud. B. V. cap. 6. *Beata Virgo dicta est bene-*



*benedicta in mulieribus, non tantum, quia sola sine concupiscentia concepit, & sine dolore peperit, sed quia pre omnibus in prole multiplicata est: et si enim carnaliter unicum genuit filium, in eo tamen spiritualis mater effecta est magna multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est. Quicumque in vita hanc matrem quotidie, & vel maxime ad horæ sonum devotè invocando veneratus fuerit, sub Mariæ præsidium humiliter confugerit, is piæ matris morietur in sinu, ejusque auxilio, de tenebris & umbra mortis, ad cæli lucem perpetuam, de transitorio purgatorii igne, ad gaudiorum æternorum resurget refrigerium: nam ut ait Blossius, in canone vitæ spiritualis, cap. 18. Fieri non potest, ut pereat, qui Mariæ sedulus & humilis cultor fuerit. ad stipulatur S. Cyrillus Alexandrinus, in Homil. contra Nestorium. Perte exultat cælum, latantur Angeli & Archangeli, fugantur demones, & homo ipse ad cælum revocatur. Tu enim animabus miseris solatium es, Turris eburnea, liberatio, ac refrigerium.*

*Epilogus.*

*Suspiremus ad hanc Turrim eburneam, quoque in hac lachrymarum valle laboramus, unaque afflictas in purgatione animas piissimæ Matri misericorditer recommendemus cum S. Bonaventurâ Psalmo 30. In te Domina speravimus, non confundemur in æternum, in gratiâ tuâ suscipe nos, tu es fortitudo nostra, & refrigerium nostrum, consolatio nostra, & protectio nostra, ad te Domina clamavimus, dum tribularetur cor nostrum, & exaudisti nos de vertice collium æternorum, educa nos de laqueo, quem absconderunt nobis, quoniam tu es adiutrix nostra, in manu tuas, Domina! commendamus spiritum nostrum, totam vitam nostram, & diem ultimum nostrum. Amen.*

*Ut fugat ardores ebur, avertitq; calores,  
Sic ne nocere queat flamma, Maria beat.  
Hinc transitur is pia Mater, eburnea Turri!  
Ardores amove, refrigerando fove,*

*Di.*